



**Quotidiana Christiani Militis Tessera**

**Stanyhurst, Guillaume**

**Coloniæ Agrippinæ, 1682**

17. Dies Februarii. Fletus erit ab ignem, qui non extinguitur; stridor ob  
vermem, qui non moritur. S. Bernard. in Sermon.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](#)

tota anima ad Deum ! Sed licet sit hæc famæ supra  
omnem fidem intolerabilis, tamen

*Non delet atra famæ, quæ traxit mens fibelabes.*

## 17. DIES FEBRUARIL

Fletus erit ab ignem , qui non extingui-  
tur ; stridor ob vermem , qui non mo-  
ritur . *S. Bernard. in Sermon.*

Vermis I.  
consci-  
entiae.

**F**ore inter voraces ignes , vor-  
acissimos quoque vermes , est con-  
spirans Theologorum , & SS. Pa-  
trum consensus , qui totum cor-  
pus & singula corporis membra mortiferis i&tibus  
depascunt . Sed trulentior erit illis internus qui ani-  
mum corrodet , & æternum vellicabit vermis . Hinc  
Beda exponens Christi verba , (a) *Vermis eorum non*  
*morietur. Vermis dicit seram pœnitentiam , que nun-*  
*quam in tormentis conscientiam afflitorum mordere*  
*cessabit , ut ignis sit pœna extrinsecus saceriens , dolor , ver-*  
*mis interius accusans. Hoc est quod potissimum misé-*  
*rios illos affliget , neglexisse totâ vitâ oblatam occa-*  
*sionem salutis , & pretiosissimum tempus , concessum*  
*acquirendæ beatitudinis , non suum fecisse , sed turpi*  
*otio inter ludicra hujus sæculi , stultissimè dilapidasse.*  
Ita conscientia illis proponet omnia tempora , præte-  
ritum , præsens , futurum ; & licet nolint damnavi hoc  
cogitare , tamen illud triplex tempus velint , nolint ,  
coguntur cogitare , & sic dum in nullo conquiescant ,

aliud

(a) *in Marc.c.9.*

illud semper , & aliud sibi circumvolvunt , & quem secum invehunt illa tempora cruciatum, semper multiplicant , semper unum fugientes , semper alium reperiunt , & simul alium , quæ pœna pœnarum omnium est nutrix.

II. In præterito quod leve , & momentaneum præterit, non potest cogitari præ pudore, & tædio, & tantus est pudor , tantumque tædium , ut non possit illud momentaneum , quo dira constat æternitas , non cogitari. Et hic est vermis conscientiæ, perpetuè rodens animam. Itane verò , inquiet illi , quia gustavi paululum mellis, cogor absorbere oceanum felis ? Propter stillam voluptatulæ carnem titillantis , amisi quo potari poteram torrentem voluptatis. Quia primariis labris gustavi aureum illum calicem meretricis Babylonicæ , (a) Ignis, & sulphur , & spiritus procellarum est pars calicis mei ? Heu ! (b) Transiit messis, finita est ætas , & nos salvati non sumus ? Propter lutum amissimus cœlum ; propter momentum voluptatis , amissimus æternitatem felicitatis ! Hæc erunt de præterito tempore quærelæ. De præsenti tanta occurunt quæ cogitando cruciant , ut quia tanta sunt , & nihil horum est quod non cogitare cogantur : quia sic affixi sunt suis omnibus pœnis , ut quas singulas patiantur , distinctè sciant , & se scire sciant , & sicut actu , ac re ipsa semper patiuntur , sic actu semper sciant & cogitent , quid singulis patiantur momentis.

III. Ad futurum verò dum se convertunt, vident que myriades illas myriadum immensas , innumera biles, interminatas, implacabiles ; tanto stupore de-

tinentur, ut, quod mente non potest comprehendendi infinitum comprehendere sat agant, & dum vident non esse totum illud futurum quod vident, magis illud videre appetant, quod dum videre appetunt, nec tamen possunt; sic mirum in modum cruciantur, ut quos tota patientur æternitate cruciatus, simul totos quodammodo patientur. Nam hæc est vis imaginativæ facultatis, ut cùm præsertim timor impendens mali, mentem stringit, totum illud malum velut præsens statuat, & dolorem ejus inferat, saepe magis vehementem, quam dum actu malum est præsens. Sic peior est bello, timor ipse belli. Sic Christus Dominus dum in horo Gethsemani parata sibi cogitaret supplicia, tunc tantis simul in animo tormentis affectus est, quanta postea ex singulis seorsim toleratis sentire potuit. O æternum semper, semper futurum! ô fatale *nunquam*, nunquam defuturum! Hic est vermis, qui corrodet eorum viscera, dum illis proponet cum immenso dolore hæc tria tempora. Audi qui hæc legis, summū illum negotiorum Præfectum serio admonentem: (a) *Negotiamini dum venio.* Nundinæ nobis ad negotiandum attributa, vita nostra sunt, quæ ad æternitatem cui negotiamur, amplior non est, quam dies nundinarius ad vitam hominis. Dies hujus nundinæ sunt, dies salutis, caverimus ne illæ sic transeant, ut excidamus salute. Sed ut accepti simus illi, in cuius potestate sunt tempora, sic utamur hoc tempore acceptabili, ut mereamur æternam felicitatem, quia

*Tempora transibunt, & gaudia vana peribunt.*

18. DIES

(a) *Luc.19.13.*